





*III. 4.*  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
*III A 106.* VITEBERG.  
SIGNAT. 1513CCCXIII.

*Attaly et subtilis et facundus Philosophus fuisse videtur  
Idem et doctus et diligens debet esse scriptum.  
ut ille prodesset orat, hic proficere.*





Febuar



Erudito Juveni Dno Georgio Michaelide  
Consalino suo desideratissimo hunc librū  
offert benevolentiae attestanda ergo  
Andreas R. Wisotzki  
ab H. B. Pl. Pl.  
A<sup>o</sup> 1668.



<sup>a/w</sup>  
SAMUELIS WISOTZKI  
Silesi,

LEMMATIS SYMBOLICI,  
OMNIUM RERUM  
VICISSITUDO:

Ex Eunuchō P. Terenti, Afri, Comi-  
ci Carthaginensis, Actū 2. Scenā 2,  
tralatitii,

*Tersis Amicorum ac Fautorum Epi-  
grammāsi, variisq; Carminum Sche-  
matibus variè efformati,*

OCTERNIO PRIMUS.

Anno 1649,

*VICISSITVDINIBVS SVBItaneIs  
oMnia VnIversè sVbsVnt.*

*Mense Octobri,*

BRESLÆ, Silesiorum,  
Literis GEORGI BAUMANNI typo-  
theticis exscriptus.

---

Iustus Lipsius:

*Omniū Rerū suū quidam orbis, & ut sic  
dicam, transitus est.*





*Magnifico, Generoso ac Nobilissimo Equiti*

**DOMINO ALEXANDRO**  
**à BIALA BIELSKI,**

**Hæreditario in Zabrze, Ozegovv,**  
Ruda, Zabovvie &c. Mæcenati, Patrono ac Evergetæ suo benevolentissimo :

*Premissâ Observantiæ, Cultûs, Studii & Officiorum Nuncupatione;*

**Salutem & salutaria quæquè, ab Eo,**  
**Qui Mare, qui Terram, totum qui temperat Orbem,**  
*ὁλοψύχως optat ac precatur.*

**S***I gloriosissimos & inclytissimos Imperatores, qui ad supremum Dignitatis ac Præeminentiæ Fastigium, vel liberâ Electione, vel Successione, vel militaribus Suffragiis, vel aliis quibuscunq; Titulis & Calculis, in Monarchiâ quartâ Romanorum (quam Vates ille fatiloquus ad ora leonum projectus, libro suæ Prophetiæ cap. 7. vers. 7. vivis depingit coloribus) ascendere, acie ingenii & animi oculis contemplamur; utiq; pterosq; omnes S I B I elegisse & adoptâ se selectissimas Sententiolas, quas Symbola communiter vocitare placitum & solitum est, observamus, Notum est Scitum scitiss-*



*scitissimum & Diverbium decantatissimum C. Augu-*  
*sti; ( à bono augurio sic dicti, cui Senatus Romanus*  
*ideò hoc Nominis indidit, quod magno Successu & opta-*  
*tâ Felicitate in rebus gerendis utebatur ) Festina lente.*  
*Eile mit weile. Nicht zu wenig, nicht zu viel: Mit*  
*maß ist das beste Ziel. Tiberii; Boni Pastoris est*  
*tondere pecus, non deglubere. Besser ist die Wolle*  
*abnehmen / als die Haut über die Ohren ziehen.*  
*Domitii Neronis; Τὸ τέχνηον πᾶσα γαῖα τέλει.*  
*Kunstreiche Hand / in allem Land / Nahrung vnd*  
*Beförderung fand. Sergii Galbæ; Miles legen-*  
*dus, non emendus. Wehlen sol man recht / nicht kauf-*  
*fen die Kriegs-knecht: Dann wer auff Gold nur*  
*sicht / der streitet männlich nicht; zur Flucht sich*  
*balde richt. Ulpii Trajani; Qualis Rex, talis Grex.*  
*Gleich wie sich der König verhält / also der Unter-*  
*than sich stellt Aelii Hadriani; Non mihi, sed po-*  
*pulo. Marci Antonii; Regni clementia custos.*  
*L. Sept. Severi P. Laboremus. Laß vns arbeiten.*  
*Macrin. Opilii; Ferendum & sperandum. Das*  
*böse man in Gedult vertrag / vnd hoff stets auff*  
*glückseligen Tag. Aur. Alexand. Severi; Quod*  
*tibi, hoc alteri. Maximini; Quid major, ed labo-*  
*riosior. Gordiani I. Omnis Vita Supplicium. Gor-*  
*diani III. Miser Imperator, apud quem vera reticen-*  
*tur. C. Vibii Galli; Nemo Amicus, idem & Adu-*  
*lator. M. Aurelii Claudii; Rex viva lex. Seve-*  
*ri; Semen Ecclesiæ Sanguis piorum. Flavii Jovianis*  
*Scopus Vitæ Christus. Et aliorum alia hujus & similis*  
*commatis ac notæ innumera. Si quis autem hujus Ar-*  
*gumentis specialem σκιαγραφίαν expetit, aut funda-*  
)( 2
menta,



mentalem demonstrationem desiderat, illum Commen-  
tarius Symbolorum Imperatoriorum, ab Illustri, Sacri  
Lateranensis Palatii & Aulae Caesareae, Comite, Consi-  
liario Saxonico, Antecessore in Facultate Juridicâ  
olim primario in SALANA, Nicolao Reusnero,  
Leorino, Silesio, typis chalcographicis promulgatus,  
adjunctis Scriptis Matthiae Borbonii, Huberti  
Goltzii, Saxonis, Scumii examusim & sufficien-  
tissime informabit. Porro, Studium Gnomarum Sym-  
bolicarum, omnibus retrò actorum temporum interval-  
lis ac periodis, tam gratum, tam carum, tam acceptum  
& perjucundum adparuit, ut in Aulis Principes, Comi-  
tes, Barones & Nobiles; in Castris Polemarchi, Chi-  
liarchi, Archistrategi, Duces, Capitanei, Equitum  
Magistri & Centuriones; in Navi Architalassi & Clas-  
sum Praefecti; in Templis primarii Psychomeletores,  
Presbyteri, Symmystæ & Concionatores; in Universi-  
tatibus, Academiis, Gymnasiis, Didascaléis, Pæda-  
gogiis & id genus aliis Ludis literariis, omnium Facul-  
tatum Magistri, Doctores & Ductores, teneræ æta-  
tis Epbori ac Pædotribæ; in Prytaneis, Dicasteriis,  
Buleuteriis & Curiis, eruditi & periti Consules, Pro-  
consules, Buleutæ & Senatores; in Republicâ literati  
& honorati Cives, illud-ipsam admitterent & adpro-  
barent. Sicut enim rerum nauticarum Magistri expe-  
rientissimi subindè ad Cynosuram respiciunt, in Mari  
Septentrionali hærentes, nè Navis immanibus illisa Sco-  
pulis, aut adverso furentis Æoli impetu de recto cursu  
deturbata, aut tempestatum derepentè desævientium  
fluctibus & slictibus abrepta, intereat; sed propositum  
Portum Portamq; Continentis quàm felicissime & ocys-  
sime



*sime* inveniatur: parili modo, passu & ratione, Omnes  
 de quibus supra honorificam fecimus mentionem, in uni-  
 versis conaminibus, actionibus, occupationibus, nego-  
 tiis obeundis & perficiendis, omnia sua sive magna, sive  
 parva, sive publica, sive privata, sive propria, sive alie-  
 na, sive seria, sive jocosa, sive togata, sive sagata, ad  
 Adagiorum & Symbolorum suorum Helicen plerunq; re-  
 tulisse visi sunt. Nonne Viri gravissimi, perspicaci  
 Ingeniopraediti, & saluberrimis institutis affabre po-  
 liti, ejusmodi Formulas gnomologicas, symbolicas, fa-  
 miliares & cottidianas, in moribus Magistras, in vitæ  
 ratione Canones, in Consiliis gubernatrices, in occasio-  
 nibus prosperis monitricas, in dubiis consultrices, in  
 Statu adfecto & turbulento consolatrices, in neces-  
 sitatibus urgentioribus adjutrices, in rebus agendis ex-  
 ordium, in omittendis modum finemq; SIBI constituere?  
 Deniq; multi etiam inter priscos & recentes Procere  
 & Summates, Lemmatum suorum symbolicorum Sele-  
 ctionibus & Usurpationibus, morbos animi alias pro-  
 funde latentes, Sapientioribus prodidere; temerita-  
 tatem, levitatem, impietatem, inusitatam pravamq;  
 libidinem regnandi, ambitionis & superbiae, ingentem  
 prurium excellendi, insatiabileq; Dominium, & alios  
 defectus, brevi Sermone proverbiali, symbolico, qui non  
 fictus, non pictus, non fucatus, sed vere infallibilis ani-  
 mi character & index, in apricum produxere. Unde,  
 amabo, Orbi Christiano per tot secula innotuit caecus il-  
 le amor & vesana ambitio Cn. Pompeji, qui parem,  
 Julii Cæsaris, qui priorem ferre noluit? Nonne ex  
 Symbolis, quorum ille hoc,

*αἰὲν ἀεὶς θεῖν καὶ ἀείρον ἔμμενα ἀλλω;*

)( 3

hic



hic verò sequente, ἢ πρῶτον ἢ ἔχαλον, Satiùs semel,  
quàm semper, utebatur? Pompejus enim gloriæ Cæsa-  
ris, & Cæsar authoritati Pompeji invidit. Quam cau-  
sam Lucanus, Poeta Latinus egregius, lib. 1. Belli Phar-  
satici assignat his versibus:

— — Stimulos dedit æmula Virtus,  
Quemlibet actorum Series ususq; laborum  
Excitat, impatiensq; loci Fortuna secundi cõt.  
Nec quenquam jam ferre potest Cæsare priorẽ  
Pompejusvẽ parem, quis justius induit arma,  
Scire nefas, magno se Judice quisq; tuetur.  
Victrix causa Deo placuit, sed victa Catoni.

Id est; Deus victoriã ostendit, se favere parti Cæsari;  
sed econtrã homines sapientes (qualis fuit Cato) sta-  
tuerunt, Pompeji causam esse justam. Ast quorsum  
Ego isthæc? Ad rhombum redeo. Unde immensa & in-  
explebilis Φιλὰγγυρῆα & accumulandarum opum avi-  
ditas T. Vespasiani magẽ eluxit? Nonnẽ ex Prover-  
bio ejus symbolico, quod identidem in ore habuisse fer-  
tur: Lucri bonus odor ex re qualibet Gewinn reucht  
wol/ vnd ist sehr gut / woher gleich selber kommen  
thut; Gold vnd Silber erfreut den Muht. De gu-  
lã & libidine Heliogabali, Antonii Caracallæ Filii,  
nonnẽ ex Parœmiã ejus symbolicã facilẽ conjici potest?  
Sibi suus quisq; Hæres optimus. Jeder verzehr sein ey-  
gen Gut / vnd hab dabey einen frölichen Muht /  
nichts mehr er davon bringen thut. Summa Sum-  
marum: ut olla tinnitu, avis garritu, vinum odorato  
Spiritu: sic Sermonẽ suo noscitur omnis homo. Qualis  
Vir, talis ejus oratio. Hoc qui ignorat, cum ignarissi-  
mis versatur: qui inficias it, cerebrum non in calvariã,  
sed



sed in calcaneo & plantâ pedis habet. Proinde, horum  
 uberiori Commemorationi immorari, est inani labore  
 se torquere & operam ludere. Manum, itaq; de tabulâ.  
 Me quod concernit, illud ex Eunuchò P. Terentii, Afri,  
 Carthaginensis Comici, gravi & venusti, Actu 2. Sce-  
 nâ 2. OMNIUM RERUM VICISSITUDO EST.  
 (Alles ding wehret eine weile. Alle dinge sind vö-  
 lichen Abwechselfungen unterworfen. *Omniânom  
 nagtym podleglo wshystko* : ) cum annos Adole-  
 scentiae vix attigissem, pro meo delegi Symbolo. Omnia  
 enim temporalia, brevia, caduca, fluxa, fragilia &  
 transitoria sunt; exoriuntur & intereunt. Etiam si  
 aliquid stabile & firmum videatur; vetustate ipsâ ve-  
 nustate privatur, atteritur & decedit. Uno singula  
 verbo: Vicissitudinibus subitanis subjacent omnia.  
 Atheas tamen est, qui temerè volitari autumat res no-  
 stras: fatali dispositione succedunt omnia. Fatum au-  
 tem est æterna illa ab æterno in æternum Dei lex: quam  
 adeò non abrogare fas, ut nec obrogari ei liceat aut de-  
 rogari, ita piè statuente megalandro Lipsio, Cent. 1.  
 Epistol. 61. *Horsum quadrat illud Vatis Sulmone sati,*  
*Ovidii Nasonis, cujus prænomen Publius, lib 4. de Pon-*  
*to, Eleg 3. in Amicitiam dissimulantem ἀλνδινὸς λυσυμ:*  
*Ludit in humanis divina Potentia rebus,*  
*Et certam præsens vix habet hora fidem.*  
*Ubi, sub calcem prælibatæ Elegiæ, Poëta hoc Epiphō-*  
*nema adhortatorium addit:*  
*Tu quoq; fac timeas, & quæ Tibi læta videntur,*  
*Dum loqueris, fieri tristia posse puta.*  
 Quapropter; superiore proximo mense, in quantum, ab  
 occupationibus forensibus & expeditionibus curialibus,



vacuæ licuit impetrare quietis , aliquot Epigrammata,  
quæ hinc inde Amici & Fautores mei, partim sponte sua,  
partim à me rogati, de hoc Symbolo meo: OMNIUM  
RERUM VICISSITUDO: diverso temporis intersti-  
tio, variè luserant, in unum dragma sive manipulum  
collegi, ex multisq; pauca, in hunc Oëternionem conge-  
sta, Prodromi loco, in publicum emittere, & Generosæ  
Magnificentiae Tuæ inscribere ac dedicare volui. Vir-  
tus enim Generosæ Magnificentiae Tuæ, generisq; ful-  
gor inclytus, nec non voluntas ab illo ipso temporis in-  
terpuncto, quo unà, cum Germano Generosæ Magnifi-  
centiae Tuæ Juniori, Dno Ludovico à Biala Bielski,  
( pleno Titulo ) Coætaneo meo, exoticis in Scholis,  
Studiis liberalibus sumus operati, in me immeritum pro-  
pensa, ad hanc me provocavit opellam, sub honorato,  
Nomine & Patrocinio Generosæ Magnificentiae Tuæ,  
luci committendam. Admitte, igitur, Generose &  
Magnifice Eques, Musas has nostras; & symbolica Ami-  
corum Epigrammata, fronte exporrectâ, animo faven-  
te & benevolentiam hætenus perspectissimâ, quæ, præter  
Generosam Magnificentiam Tuam, Patronum agnoscunt  
nullum, suscipe: *Jehova θεοσιμώτωρ* optimus, & Hy-  
peraspistes potentissimus, Generosam Magnificentiam  
Tuam, cum Nobilissimâ & Dilectissimâ Vitæ Consorte,  
cæterisq; Melliculis & Charitatibus domesticis, in hac  
quotidianâ rerum humanarum Vicissitudine, ab omni  
Cordolio clementer tueri, sartam & tectam conservare,  
& saluari animæ, animi & corporis prosperitate & Eu-  
logiâ munificè augere, plenâq; manu cumulare digne-  
tur. Vale, Vir Generose, valide, sub divini Numinis  
ægide. Dabam VVratislaviæ 7. Idûs Oëtobr. Styli no-  
vi, Anno τξ Θεωθεωποσωτηρ, 1649. Ad



*Ad Eundem*  
Magnificum, Generosum ac  
Strenuum Equitem,  
D N. ALEXANDRUM  
à BIALA BIELSKI.

**N**omen Alexandri mentem designat herilem,  
Cognomen Bilski cor notat albidulum.  
Magnanimo gestas candorem pectore, Bilski;  
Inde tui ratio nominis apta venit.  
Eximium genuit te Terra Polona Dynasten;  
Quin & in Elysiâ magnus haberis Eques.

2.

Generosus & Nobilis  
Alexander de Bialâ  
Bielski.

*ἀναγενμαλιθεῖς, κ per c elato.*

Es genere claro; bellus Deo:  
i, dantis in axe libabis.  
*ὑφ' ἡμοῖς.*

Non Imagines, sed Virtus clârum facit.

**V**IR CLARO patulas GENERE ES datus Orbis  
in auras:  
Virtutis raris dotibus auctus ovas.

) ( 5

Indolis



Indolis egregios superas splendore Parentes:  
Nomini inest omen, Flos generose, tuo.  
Doctus amas Musas: Te Mars & Pallas honestant,  
Partibus ille suis, Artibus ista suis.  
Quippe DEO vivis BELLUS: sic strenuus I; post  
LIBABIS Jesu DANTIS IN AXE Bona!

Generosæ Magnificentiae  
Tuæ

ad officia paratissimus

SAMUEL Wisotzki/Plesnâ-Sil.  
p. t. juratus Reipubl. Bilicensis  
Notarius.

Sym-



8  
Symboli Visociani  
OCTERNIO PRIMUS

---

JOHANNES SERPILIUS,  
Ecclesiae Caismarc. Pastor, & Contu-  
bernii Pastorum, ad Inferior. Fl.  
Poprad. Senior.

OMNIUM RERUM VICISSITUDO.

**I***N* lubrico Sors omnis est Mortalium.

*Rebus proinde in prosperis*

*Nè turgeamus fastuoso; in asperis*

*Contrà pusillo Spiritu*

*Nè concidamus: Omnium rerum frequens*

*Vicissitudo pramonet.*

*Quod expedit notare: dum Mortalium*

*Sors omnis est in lubrico.*

Aliud Horatianum ferè.

**S***perat infestis, metuit secundis*

*Alteram Sortem benè præparatum.*

*Pectus, est cui nota Vicissitudo*

*Proxima rerum.*

Nontam lepidè, quàm libenter

scrib. Caismarc. Sepusiorum,

Dominicâ 2. post Trinit.

Anno 1648.

---

David



DAVID FROELICHIUS,  
Sac. Cæsar. Regiæq; Majestatis per  
Regnum Hungariæ Astronomus  
practicus.

*Quicquid hic Orbis habet, mutantur singula;  
nec non  
Alternant varias cuncta Creata vices.  
Ast Jhovæ, Merito solidata & Sanguine Chri-  
Nescia mutari, Gratia sola manet. (sti,*

Cæsareopoli, Sepusiorum, die 4.  
Febr. Epochâ Anni 1647.

---

In  
LEMMA SYMBOLICUM  
(Ter. Eun. 2. 2.)  
OMNIUM RERUM  
VICISSITUDO,  
VIRI

*& linguarum variarum cognitione,  
& rerum experienciâ, Clarissimi,  
Domini*

SAMUELIS Wisotzki / Sil. Notarii  
apud Plesnenses dignissimi.

*Cainus Evæ Spem refecat bonam,  
Contemptus Habel gratus obit Deo:*

*Sic*



*Sic OMNIUM RERUM perennis  
Gliscit ubiq<sub>3</sub> VICISSITUDO.*

*Fratri perosus dicitur Israël  
Jacob, sed Esau non benedicitur:*

*Sic OMNIUM RERUM perennis  
Gliscit ubiq<sub>3</sub> VICISSITUDO.*

*Fit Juda Rex, & Mysta Levi, caret  
Incestuosus Ruben utrâq<sub>3</sub> Spe:*

*Sic OMNIUM RERUM perennis  
Gliscit ubiq<sub>3</sub> VICISSITUDO.*

*Templum, remoto Eli, Samuel regit:*

*Sauli occupavit Jersaides thronum:*

*Sic OMNIUM RERUM perennis  
Gliscit ubiq<sub>3</sub> VICISSITUDO.*

*Nissim Wysofi/ celso humilis locum*

*Cedit frequenter mox remeabilem:*

*Sic OMNIUM RERUM perennis  
Gliscit ubiq<sub>3</sub> VICISSITUDO.*

*Vetus novo sic fœdere solvitur:*

*Sic æviternum temporibus subit:*

*Sic OMNIUM RERUM perennis  
Gliscit ubiq<sub>3</sub> VICISSITUDO.*

*Sic Nos Deus post tempora perpete*

*Regno beabit, lata ubi lux sine*

*Noctis*



Noctis tenebris, RERUM ubi illa  
DESINET arcta VICISSITUDO.

συμπληρωτή gratificandi Studio  
fabricatus est Cæsareofori,  
1647. 7. Octobr.

DANIEL FABRI Falcoberg.  
Sil. t. r. ibidem Ludimoderator.

---

JOHANNES HRADECIUS,  
Collega Scholæ & Civis Caif-  
marcensis.

**O**Mnia Democritus ridebat, & omnia contrà  
Flevit Heraclitus, quæ tenet Orbis opus.  
Tempore si nostro hos aliquis revocaret ab um-  
Fletibus hic, risu possit & ille mori. (bris,  
Cur ita? mutantur mortalia duncta subindè;  
Flebilis est rerum, ridiculusq; Status,  
Ipse Ego dum pravas Hominum considero mentes,  
Et varias rerum semper in orbe vices,  
Rideo collachrymans humana & defleo ridens,  
Ac tacitus voveo fata suprema mihi.

In idem Symbolum alludebat  
Cæsareopoli Sepusiorum,  
die 7. Septemb. 1647.

---

Tobias



# TOBIAS STEPHANI,

Moravus, p. t. Scholæ Schemnicensis Rector.

1.

**Q**uod ridens Afer, flentes Nos dicimus: eheu  
Per quantas percunt omnia quanta vices!

2.

**N**aturâ an Casu rerum interitum subit ortus  
Sub lunâ? Omnis res est, fit, it, ampla peris.

3.

**Q**ui varias rerû esse vices scit, non nova res est,  
Si quoq; fert varias versus & ipse vices.

Schemnicii, in Montanis Pannonicis, aulo Medius scrib.

26. Maji, Anno 1649.

---

## All ding ein Weil.

All ding ist nur ein Weil/ vnd kan gar nicht bestehen!  
Was in der Welt hier ist/ muß mit der Welt vergehen.  
Gold/Silber/Geld vnd Gut / ein Weil dem Menschen  
Als lang der warme Geist in seinen Adern sitzt. (nützt/  
All Kunst/Geschicklichkeit/Schönheit vnd Leibes-Stärke /  
Gunst/Freundschaft/ Glück vnd Leyd/ seynd alles solche  
Wercke/

Die nur ein Weil bestehn: was halff Crösus sein Geld?  
Was Salomon sein Wiß: was Simson diese Welt?  
All ihre Werck seynd hin; Wer sich hoch wil vermessen /  
Wird oft wie Milo starck vom wilden Volck gefressen.  
All ding ein Weil besteht/ ein Weil ist kurze frist/  
Drumb Mensch, du Maden-sack/ denck wol nach/ was du  
bist.

Tugend



Zugend bleibt alle Weil/ ist nicht an zeit gebunden/  
Ihr anfang Ewig heißt/ wird auch gewiß gefunden  
In jenem Freuden=Lebn/ da Mars nicht kommen kan /  
Wer dieser sich ergiebt/der bleibt ein kluger Mann.  
Weil Themis dir das Lob/ Wisotzki / hat gegeben  
Der Höchst' auch seine Gnad ; dein Tugend müsse schweben  
Bis an das Sternen=Feld/wo Phoebus stille steht /  
Vnd mit Carbuncul=Glanz der Helicon auffgeht.

Zu sonderbarem gefallen versetzt/

15. Quintilis Anno 1648.

Niclas Ratus / Tesch. Sil.

Stadtschreiber in Rattibor.

---

**I**nstabili motu Sors nostra rotabilis errat,  
Nec manet hac ullo certa tenax q̄ Viro.  
Tu memor ambigua Sortis, quæ tollit eosdem,  
Et premit, incertas usq̄, caveo vices.

Ad imitationem Ovidii lib. 3.

& 5. Trist. Breslæ Siles.

9. Octob. Anno salutis 1649.

extemporalis scribebat

SEBALDUS Gittich /

Nihemius V Westphal. P.L.C.

---

**N**il sub Sole diu durabile: debile quodvis  
Ac fluxum nostræ Conditionis opus.  
Post hujus vitæ pia funera, nostra perennat  
Sors, metamorphosi non abolenda, Polo.

In Scitum symbolicum, Terentianum,

quondam Condiscipuli suaviss. nunc

Amici æstimatis. scribeb. 10. Apr. 1646.

PETRUS BRANETZKI, Polonus,

Verbi divini apud Gdacenses Minister.

FINIS.



Aug IIIA 176

ULB Halle  
004 073 703

3




50


VD 77

7  
6









B.I.G.

Farbkarte #13

<sup>a/w</sup>  
SAMUELIS WISOTZKI  
Silesi,

an 1

LEMMAE SYMBOLICI,  
OMNIUM RERUM  
VICISSITUDO:

Eunucho P. Terenti, Afri, Comi-  
ci Carthaginensis, Actu 2. Scenà 2.  
tralatitii;

*versis Amicorum ac Fautorum Epi-  
grammasi, variisq; Carminum Sche-  
matibus variè efformati,*

OCTERNIO PRIMUS.

Anno *Γεωργίου*,

*VICISSITVDINIBVS SVBLTANELS  
oMnIa VnIversè sVbsVnt.*

*Mense Octobri,*

1649

BRESLÆ, Silesiorum,

eris GEORGI BAUMANNI typo-  
theticis exscriptus.

Iustus Lipsius:

*Omnium Rerum suus quidam orbis, & ut sic  
dicam, transitus est.*

